



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. I. Oratio Ad Sanctissimam Trinitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

NUMERUS XVIII.

Tres Supplicationes Christiana; Prima ad Sanctissimam Trinitatem, unum Deum Creatorem omnium: Altera ad unum Mediatorem Dei & hominum, JESUM-CHRISTUM Deum-Hominem, omnium Redemptorem: Tertia ad Sanctam Dei Genitricem, semper Virginem Immaculatam MARIAM omnium Christianorum, Parentem, Advocatam, & Mediatricem apud Filium suum, quam ipsemet dedit omnibus in Matrem.

§. I.

ORATIO AD SANCTISSIMAM
TRINITATEM.

Sanctissima & indivisa Trinitas, una Deitas; Deus, unus, trinus; Pater, Filius, Spiritus Sanctus; unus Deus creator

omnium : omnes Christianos, præfertim Principes Catholicos, sub uno Capite totius Ecclesiæ, in uno spiritu veritatis, & charitatis, sic conjunge; ut simul unum corpus indivisum constituent: & unanimes, læti & alacres, constanter pro corona æternæ Gloriæ, præliantur prælium Domini; prælium Regis Regum Christi JESU, prælium Sanctissimæ Triadis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Sic ô Trinitas Divina, ubique terrarum te unum Deum in substantia, trinum in Personis adorabimus, in spiritu pietatis & veritate fidei Catholicæ; tibi serviemus humero uno, uno corde, & uno ore: ubique tibi psallemus, ubique agemus jubilæum, cùm Terra Sancta totusque orbis ad pristinam fidem, ad pristinum herum & Dominum suum revertetur: ubique, tibi Deo, uni, trino, in linguæ novæ mentisque jubilo, exultantibus animis, & vocibus jubilabimus, psallentes in unum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus, unus, & trinus: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Hocce fidelium omnium, hoc meum unicum est

votum, quod mihi ab olim, ô Sanctis-
 sima Trinitas & una Deitas inspirasti,
 & inspirare non desinis; ut assidue de-
 siderem, & obsecrem te, pro excidio
 Mahometismi, Hæresis, & Paganis-
 mi. Utinam ô omnipotentissima Tri-
 nitas, triplicem horum tuorum ho-
 stium ruinam ante mortem videre me
 contingat, ut toto orbe sit unum
 Christi ovile, & unus Pastor, tunc
 utique lætus occumbam, canamque
 & jubilabo cum Sancto Simeone. Nunc
 „ dimittis servum tuum Domine, se-
 „ cundum verbum tuum in pace. Quia
 „ viderunt oculi mei salutare tuum;
 „ quod parasti ante faciem omnium po-
 „ pulorum: Lumen ad revelationem,
 „ gentium & gloriam plebis tuæ Israël.
 Tunc pariter occinet discipulus quem
 diligebat JESUS, Vidi Sanctam Civita-
 tem Jerusalem, novam descendentem
 de Coelo à Deo, paratam sicut spon-
 sam ornatam viro suo: Tunc modula-
 bitur Tobias illud c. 13. Jerusalem Ci-
 vitas Dei, luce splendidâ fulgebis, &
 omnes fines terræ adorabunt te. Be-
 nedictus Dominus qui exaltavit eam,
 & sit regnum ejus in sæcula sæculorum
 super

super eam, Amen. Tunc rursus psal-
 let Regius Vates, Omnes gentes plau-
 dite manibus, jubilate Deo in voce
 exultationis. Elegit nobis hæredita-
 tem suam speciem Jacob quam dilexit
 magnus Dominus, & laudabilis ni-
 mis, in Civitate Dei nostri, in monte
 sancto ejus. Fundatur exultatione,
 universæ terræ, mons Sion, latera
 Aquilonis, Civitas Regis magni, Deus
 in domibus ejus cognoscetur, cum
 suscipiet eam. Lætentur Cæli, &
 exultet terra, commoveatur mare &
 plenitudo ejus. Dominus regnavit,
 exultet terra, lætentur insulæ multæ:
 adore eum omnes Angeli ejus, au-
 divit & lætata est Sion, exultaverunt
 filiæ Judæ, propter judicia tua Domi-
 ne, viderunt omnes fines terræ salutare
 Dei nostri: omnis spiritus laudet Do-
 minum. Tunc exultabit Isaias: Lau-
 date Cæli quoniam misericordiam fe-
 cit Dominus: jubilate extrema terræ,
 resonate montes laudationem, quia
 consolatus est Dominus, populum
 suum, & pauperum suorum misere-
 bitur.

Surge illuminare Jerusalem, quis

N

venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Tunc buccinabit Sophonias: Lauda filia Sion, jubila Israël, lætare, & exulta in omni corde filia Jerusalem. Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos; Rex Israël, & Dominus in medio tui, gaudebit super te in lætitia, filebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. Tunc jubilabit Zacharias, Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet, tibi justus & Salvator, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?

§. II.

ORATIO AD JESUM-
CHRISTUM.

Domine mi JESU-CHRISTE Salvator omnium hominum maximè fidelium, solus Deus - Homo, Media-